



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 22. Caraffa Cardinalis Lutetiam Parisiorum ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. XXII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1556.

Caraffa Cardinalis Lutetiam Parisiorum ingressus.

Ceterum Legatus Parisinam urbem *Tuyan. l. 17.*  
 cum omni pompa, ac solemnitate *num. 3.*  
 in ejusmodi occasionibus consueta ingrediebatur. Referunt nonnulli, quod, *Mazeraya-*  
*t. 4. p. 598.* *brege chron.*  
 ubi Legatus in plateis signum crucis ficeret, ac populo pro more bene pre-  
 caretur, consuetas preces fundere neglexerit, sed illarum loco submissa omnino voce ad populum turmatim pro benedictione concurrentem, atque in genua procumbentem hæc verba dixerit: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* (\*) Quinimo scribunt de eo alii, quod inter Nobiles in Aula, atque in civitate generosus, inter Matronas lepidus, atque inter hilares lætus fuerit, saepiusque Valentinensem Ducissam officiosa salutatione honora-

B b 4 tam

(\*) Hujus fabulæ Auctor est Thuanus Scriptor ob sua mendacia ad Apostolicæ Sedis dignitatem deprimendam ex Hæreticorum lacunis in suam Historiam translata jam Anno 1610. inter damnatos Scriptores recensitus, qui refert, hunc Legatum saepius secreta murmuratione hæc verba ingeminasse: quæ murmuratio, si adeo secreta fuit, mirum, quomodo a Thuano percipi potuerit.

**Sæcul. XVI.** tam suo, quam Pontificis nomine amplis  
 A.C. 1556 muneribus cumularit. Insuper Con-  
 venarum Episcopatu, quo se in ejus  
 gratiam Joannes Bertrandus Franciæ  
 Procancellarius ultro abdicaverat, a  
 rege donatus est: cumque mense Junio  
 Regina uno partu duas filias enixa esset,  
 earum unam Caraffa adrogatus, e so-  
 cro fonte suscepit, eique Victoriæ no-  
 men indidit, sive ob prosperos, & con-  
 tinuatos fere præteriorum annorum  
 successus, sive ob spem temere ab omni  
 ipsius familia de futuris triumphis con-  
 ceptam, quæ tamen mox cum vita  
 hujus Infantis, istiusque sororis, quæ  
 Joanna dicta est, brevi evanuit; paulo  
 post enim ambæ hæ Principes fatis con-  
 cessere. Non deerant ex Cardinalibus  
 nonnulli, qui Caraffam vehementer ob-  
 jurgarent, eoquod Convenensem Epi-  
 scopatum utpote suæ dignitati minus  
 congruum acceptasset: verum re per-  
 cepta Legatus die vigesima quarta Julii  
 datis ad Fratrem suum literis acriter  
 reprehendit hosce Cardinales, qui erant  
 Paccecus, & Joannes Alvarez Domini-  
 canus, vulgo Cardinalis S. Jacobi ap-  
 pellatus, eoquod Compostellanus esset  
 Archiepiscopus.

§. XXIII.